


36
37

SPECIMEN PHYSIOLOGICUM
INAUGURALE
DE
ALIMENTORUM IN CHY-
LUM MUTATIONE,
QUAM,
FAVENTE SUMMO NUMINE
Ex Auctoritate MAGNIFICI RECTORIS,
FRIDERICI WILHELCI PESTEL,
JURIS UTRIUSQUE DOCTORIS ET PROFESSORIS JURIS PU-
BLICI ET PRIVATI IN ACAD. LUGD. BAT. ORDINARI,
NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, &
Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto,
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis,
ritè ac legitimè consequendis,
Eruditorum examini submittit
JOANNES ANDREAS WIECKHOFF,
PETROPOLITANUS.

Ad diem 4. Novembris MDCCCLXV. H. L. Q. S.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud THEODORUM HAAK, 1765.



ILLUSTRISSIMO AC GENEROSISSIMO

D O M I N O

D O M I N O

ALEXANDRO

BARONI A CZERCASSOFF,

AUGUSTISSIMAE AC POTENTISSIMAE

RUSSORUM IMPERATRICIS

CUBICULARIO ACTUALI

COLLEGII MEDICI PRAESIDI DIGNISSIMO

FAUTORI ATQUE PATRONO MEO


MAXIME VENERANDO

N E C

N E C N O N
V I R I S
ILLUSTRIBUS, EXPERIENTIASSIMIS
D O C T I S S I M I S Q U E
C O L L E G I I M E D I C I M E M B R I S
G R A V I S S I M I S
F A U T O R I B U S M E I S S P E C T A T I S S I M I S.

*Has studiorum Academicorum
Primitias summa cum ob-
servantia consecrat*

JOANNES ANDREAS WIECKHOFF.



SPECIMEN PHYSIOLOGICUM
INAUGURALE,
DE
ALIMENTORUM IN CHY-
LUM MUTATIONE.



§. I.

onstat, hominem, quam primum natus, alimentis uti ac indigere. Ex tantillo embryone decursu annorum in tantam crescimus magnitudinem, quod manifesto fit ex alimentis in naturam nostram conversis.

A 3

Nu-

6 SPECIMEN PHYSIOLOGICUM

Nutrimur alimentis, perditaque ex iis restituuntur. Ergo videmus, alimenta in se continere materiem, quae apta ad augendum nos, ad nutriendum & refaciendum id, quod perdimus. Hinc necessitas assumptionis alimentorum patet. Modum explicare, quo alimenta in naturam nostram convertantur perditaque ex iis reparentur, est res valde abdita multisque tenebris oboluta, quae ingenia hominum quam maxime torsit. Verum certissimum est, antequam apta evadant alimenta ad praestandum id quod commemoravimus, debere prius in ventriculum ac intestina defiri, ibique sic mutari, ut ex iis chylus generari possit, qui est succus nutritius. Quantum fieri potest, modum, quo alimenta in chylum mutantur, inquirere in animo habeo. Selegi hancce materiem pro specimine academico, non modo pro ejus dignitate, sed quoniam quoque multa ab auctoribus fama & auctoritate claris, hac de re prolata, quae veritatummodo speciem prae se ferunt. Considerabo vero omnem mutationem, quam alimenta subeunt, tam in ore, quam in ventriculo ac intestinis.

§. I I.

Ingens datur alimentorum numerus, ut vix enumera*rari*

rari possint. Primaevi homines admodum frugaliter vixerunt. Quo magis sese luxui ac voluptatibus postea dediderunt, eo majorem invenerunt numerum. Sed in genere ex animali depromuntur regno ac vegetabili. Minerale nulla praebet. Quaestio mihi videtur esse supervacanea, an homo ad animalia herbivora vel carnivora sit adnumerandus. Videmus Naturam & vegetabilia & animalia homini pro alimento concedisse. Utrisque nutriri potest homo.

§. I I I.

Provida Natura nobis stimulum dedit, ut appetamus illud, quo indigemus. Appetentiam nacti sumus, quae sub initio grata est affectio, nisi vero satisfacias, fit molesta, urget, denique fit molestissima, ut amplius ferre non possis. Cogeris igitur ingerere. Prehendis tunc alimenta, inseris in os. Si quid firmum, quod ingerimus, ut tamen dissolvi possit, manductionem adhibemus, qua comminuimus cibos firmos, dividimus, in pultem redimus.

§. I V.

Inter varios, qui cibis admiscentur, humores,
con-

8 SPECIMEN PHYSIOLOGICUM

considerandi veniunt primum illi, qui sub ipsa mandu-
catione cibis admiscentur. Duplex humor affluit: al-
ter manifestus, saliva vocatus; alter ex omni oris par-
te exsudans, non tam facile patens. Saliva proprios
sibi habet fontes, e quibus emanat, glandulas scilicet.
Variis in ore locis fere continuo se effundit. Dum
appetimus, maxima affluit copia, qui major affluxus
nulli pressioni aut alii causae mechanicae adscribendus.
Humor qui totum oris cavum reddit madidum exhalat
ex ultimis arteriolarum finibus sub specie insensibilis
vaporis, & sic exhalando humectat. Hos praeter hu-
mores aliis quoque cibis admiscetur, qui tenacioris
naturae; mucum vocant. Tota radix linguae, pala-
tum molle, uvula, fauces, oesophagus mucosa sunt.
Ibi inveniuntur glandulae, ostiis patentibus, folliculi
glandulosi dictae, hunc fundentes mucum, qui partes
lubricat ac deglutiendum oblinit.

§. V.

Saliva magnam habet utilitatem. Videamus, quae-
nam sit ejus natura? Est humor aquosus, limpidus,
viscidulus, unde differt ab aqua, unde & spumam con-
cipit ac retinet. Habet in genere omnes dotes gene-
rales, quae sunt humorum, sed gaudet praeterea quo-
que

que vi saponacea. Solvit enim magis quam pura aqua, solvit etiam inter se diversa, v. c. gummata, omniaque salia. Habet adhuc aliam vim, qua principium inducit fermentationis, de qua post plura. Dissolvit ergo cibos, cum iis subigitur, manducata in pastam redigit ad facilitandam deglutitionem & digestionem, varia diversae naturae interse commiscet. Apparet ergo magna ejus utilitas. Quare non absque detimento concoctionis ciborum frequenter expuitur.

§. V I.

Manducatione peracta alimenta ope deglutitionis depelluntur per oesophagum in ventriculum. Ventriculus deglutita assumit ac retinet. Nihil e ventriculo secundum naturam redit in oesophagum. Neque concoqueret, nisi retineret. Quid vero est, quod facit, ut nihil e ventriculo redeat in oesophagum? Ventriculus habet ostia duo, cardia & pylorus vocata, quae ambo claudenda, ut cibus retineri possit. Quomodo ergo cardia, os superius, clauditur? Multi in diaphragmatis actione causam quaerunt. Ubi oesophagus in ventriculum penetrat per diaphragmatis partem carneam, ibi dicunt in diaphragmate annu-

10 SPECIMEN PHYSIOLOGICUM

lum esse, qui constringat oesophagum, & ita claudat. Qui rem perspicit, facile videbit, hanc causam ingenio effictam esse. In diaphragmate nullus est annulus, sed oblongum foramen, fissuræ simile (*a*). Oesophago enim transeundum erat per diaphragma, ut ad ventriculum perveniret. Hanc ob causam fissura adest, via, per quam transeat. Enī concedam hancē fissuram constringere oesophagum, quamquam non videtur, nimiam ob ejus longitudinem. Nonne vero diaphragma est musculus, contrahens se & relaxans? Ergo in inspiratione, ubi se contrahit, clauderetur ostium, non vero in exspiratione, quia relaxatur. Vides hoc modo fieri non posse. Et tamen ostium clauditur. Quaenam ergo est vera causa, quae efficit, ut e ventriculo nil redeat? Jam videamus. Oesophagus est semper contractus usque ad ventriculum. In cadavere vides canalem contractum, angustatum. In nobis viventibus vis vitalis accedit, qua turgent omnes partes, sustinent se ac contrahunt. Hinc claudit se oesophagus vi, non quidem magna, sed spontanea, ita ut dilatabilis sit. Quando enim bibimus, potus non pondere sua in ventriculum cādit,

(*a*) Vid. Ill. B. S. ALBINI Hist. muscul. hom. Lib. III. Cap. LXXI.

dit, sed vi debet propelli. Accedit ventriculi & oesophagi tunica muscularis, quae vim superaddit. Si igitur contenta in ventriculo urgent, cardia se contrahit tunica sua musculosa, sive ostium clauditur, ut e ventriculo secundum naturam nil in oesophagum redire possit, quocunque etiam corporis situ mutantato, sed maneat omne.

Alterum ostium, pylorus, quoque claudi debet, ut ventriculus retinere possit. Hic vero jam alia est ratio. Pylorus retinere debet, sed etiam emittere. Quae de hoc dicenda, aptiorem infra invenient locum. Sufficiat nunc modum indicasse, quo cardia clauditur. Interponenda sunt quaedam de ventriculi fabrica.

§. VII.

Ventriculus est continuatio oesophagi. Etenim unus est canalis a faucibus ad anum usque, variis vero in locis diversam habens formam. Ventriculus amplior est, contractiora sunt intestina. Principium hujus canalis est os, sequuntur fauces, dein oesophagus qui continuatur in ventriculum, hic vero in intestina. Ventriculus est foccus membranaceus, flexilis. Constat quatuor veris membranis, quarum tres proprie-

12. SPECIMEN PHYSIOLOGICUM

sunt ventriculi, quarta vero accessoria.

1. Externa est accessoria, a peritonaeo, quae maximum ventriculi partem contegit. Duæ tantummodo sunt sedes, a quibus haec membrana abest, ad originem nimirum utriusque omenti (*b*).

2. Altera est muscularis, quae sic vocatur, quoniam fibras habet musculosas. Ab altera parte adhaeret externae, ab altera nerveae. Auctores admodum inter se differunt in descriptione decursus fibrarum muscularium. Constat habere fibras triplicis generis; orbiculares, quae orbiculum referunt; longitudinales; transversales, inter duo ventriculi ostia decurrentes. Ceterum tenues sunt, hinc error est credere, hanc membranam magnam habere crassitudinem. Datae sunt ad contractionem. Contractilis enim est ventriculus. Id animadvertere licet in animalibus vivis incisis, partibusque, ventriculo similibus.

3. Post musculosam sequitur nervea, sic vocata, non quod ex nervis constet, sed quoniam ob similitudinem coloris partes albae, densae, veteribus nervis appellabantur. Crassissima est & densissima inter omnes, corpus constituens ventriculi, uti musculosa arteriis fundamentum praebet, sic nervea ventriculo.

Su-

(*b*) Ill. HALLERI Elem. Physiol. Tom. VI. pag. 124.

Superficies interna dat productiones parvas, quæ cum interna plicas ventriculi constituunt.

4. Ultima denique ventriculi membrana est interna. Tenuis est & mollis, superinducta nerveae & stricte adhaerens, capacitatem ventriculi terminans.

Praeter has ventriculi membranas auctores addiderunt cellulosas, quarum Ill. HALLERUS tres numerat (c): extimam scilicet, inter communem & musculosam; medium, inter musculosam & nerveam; intimam, inter nerveam & internam. Cellulosa fere semper invenitur intermedia duas inter membranas, eas connectens.

Accedunt arteriae, vena, nervi. Arteriae oriuntur a coeliaca, quae minores in ramos se spargentes dant subtilissimos internae. Vena sanguinem reducentes confluunt in splenicam. Nervi oriuntur ab octavo pari & intercostali.

§. VIII.

Exposita, quantum ad scopum meum pertinet, fabrica ventriculi, jam progredior ad ejus actionem in ingesta, quae concoctio vocatur. Ventriculus retinet
in-

(c) Loc. cit. pag. 124.

14 SPECIMEN PHYSIOLOGICUM

ingesta per semihoram, unam, duas, plures, pro natura ingestorum ipsiusque ventriculi. Dum retinet, quae continentur ita mutantur, ut alius videantur conditionis esse, quam fuerant ante.

Apparet hoc manifeste in cadaveribus non diu post mortem apertis, in quibus ventriculi contenta varie vides mutata. In viro cernis per vomitum ejecta mutata, ut eo magis, quo diutius retenta fuere. Jam haec mutatio vocatur concoctio. Quomodo vero haec contenta mutantur? & qualis mutatio? Id ut intelligi possit, consideranda veniunt, quae hanc mutationem inducere videntur.

§. I X.

Admiseretur ingestis humor quidam, gastricus vocatus, quem innumerae arteriolae in cavum stillant ventriculi. Si purus examinetur, videtur esse humor mucosus, viscosus, fere insipidus, salivae quam maxime analogus. Adfluit majori, minori copia, quae determinari non potest. Credas maximam adfluere copiam, uti saliva, dum appetis. Huic liquori gastrico multi totam adscriperunt concoctionem. Sed quid potest efficere? est ad instar salivae, disponens cibos ad solutionem faciliorem, miscens sibi ac interpolans.

nens. Videtur ob visciditatem, qua gaudet, omnia inter se aliquantum cohærere facere. Admiseretur quoque simul ingestis aliquid animale, quod ex singulari odore, quem rejecta spirant, cognoscas. Admisceretur simul ros exhalans, qui vero in omnibus corporis cavitatibus reperitur, adeoque praeter dilutionem nihil in eo querendum, quod ad concoctionem faciat.

§. X.

Sequitur contractio ventriculi. Ea duplex est: naturalis vel vitalis, & violentior sive superaddita. Prima pendet a vi vitali, quae inest omni parti ventriculi, qua turgent omnes partes atque distractae se restituant, qua viva quaecunque pars differt ab eadem mortua. Hinc ventriculi parietes in nobis vivis non sic flaccidi, ac in mortuis, sed turgescentes. Altera est contractio superaddita, major, pendens a tunica musculosa. Si vivum incidas animal, vides ventriculum agitari, alterne contrahi ac laxari. Est id, quod motum vocant peristalticum. Videamus effectus hujus contractionis. Certe arctat ventriculum, undique contrahit. Urget ergo contenta, premit, miscet. Licet haec contractio summa sit, tamen lenis est, mollit, solvit, exprimit, miscet, & sic facit, tamquam

16 SPECIMEN PHYSIOLOGICUM

quam si quis fugit intra os , & urget plus minus. Cognoscas hoc ex observatione Summi Viri B. S. Albinii , Praeceptoris mei in aeternum venerandi , in physiologicis commemorata. In eodem vulnerato militi , cuius historiam Vir Illust. in annotationibus academicis dedit (d) , digito percepit contractionem intestinorum. Erat huic militi intestinum colon per transversum discissum , vulnusque sic sanatum , ut cicatricem per ambitum orae unam duxerit ventris plaga , & intestini. Eoque natus erat in latere anus quidam , sed patulus Intruso digito summus Praeceptor percepit contractionem intestini , sensitque aliquid sese contrahens circum circa digitum , sensit notum illum peristalticum , qui sugendo peragebatur , similiter ac in ore. Stimulum si addebat cum digito , suuctio fortior erat. Fabrica ventriculi eadem cum sit ac intestinorum , caste concludere possumus , eandem quoque rationem in ventriculo obtainere. An ergo licet dicere , ventriculum triturare ? Trituratione concoctionem fieri alimentorum ? Repugnantem vides fabricam ventriculi , cujus tunica interna mollis , tenuis , nequaquam apta ad tenendum. Trituratio enim fieri non posset , nisi intermedia tunica interna.

Quae

(d) Lib. II. Cap. VIII.

Quae in ventriculum ingeruntur, jam emollita sunt, nec opus habent tritura.

Attamen probare voluerunt machinis, ingeniose excogitatis. Fecerunt animalia factitia, quae digestionem triticum terendo imitabantur. Sed nonne molendina est, in abdomine animalis factitii contenta, quae triticum conterebat? Quid ergo mirum molendinam conterere? An autem sic in nobis?

Et analogiam cum vivis animalibus in auxilium vocarunt. Sunt animalia granivora, quae tres habent ventriculos, ac terendo concoquunt, uti plerique aves, quoniam dentibus carent ac integra grana deglutiunt. Sunt animalia ruminantia, quae quatuor gaudent ventriculis, in quibus quoque tritura obtinet. A fabrica horum animalium ad hominem fuit conclusum. Non nego in illis animalibus trituram obtinere, in homine vero omnino fit nulla. Necesse est in animalibus, quoniam granis, graminibus vescuntur, alimentis, quae indigent tritura. Homini unicus tantum ventriculus ac aliter factus est. Ventriculi animalium, ob duram, qua constant, membranam, ad terendum apti. Non valet igitur conclusio ab his animalibus ad hominem. Rationes quoque jam supra memoratae abunde demonstrant, trituram nullam in nobis posse invenire locum.

18 SPECIMEN PHYSIOLOGICUM

§. X I.

Perpendamus, quid calor ad concoquendum tribuat. Calor ventriculi modicus est. Dissolvit, aërem qui una cum cibis deglutitur, expandit, initium fermentationis & putrefactionis inducit. Est, si velis, duplex: alter partium adjacentium, alter ipsius ventriculi. Antiquissimā fuit opinio, calore concoctionem fieri, uti apud Hippocratem legitur. Dubito vero quam maxime^{an} Hippocrates per illud θερμό^η ignem elementarem ejusque magnum gradum voluerit indicare. Videter potius per illud θερμό^η calidum illud innatum, quod arctissime cum principio vitali cohaeret & inseparabile ab illo, exprimere voluisse.

§. X I I.

Haec, quae attuli, praecipue sunt, quae ad concoctionem ciborum faciunt. Videamus vero, an adhuc quaedam ventriculo accedant, concoctionem adjuvantia. Dicunt accedere pulsus arteriarum. Arteriarum vero pulsus non ictibus mallei sunt comparandi. Quem edunt pulsus, non sic validus, ut inde

de contenta ventriculi multum agitentur. Sed arteriam aortam afferunt, hanc quam maxime pulsare, ventriculum ergo ob vicinitatem aortae magis move-ri. Aorta vero adjacet ventriculo interveniente pancreate, ergo hoc omnes absorbet aortae pulsus. Praeterea ventriculus non est corpus solidum, sed molle, cedens, inde minus ictus aortae percipit. Ap-paret ergo, pulsus arteriarum parvi vel nullius esse momenti in concoctione ciborum.

§. X I I.

Quid vero valet contractio ventris, ac pressio diaphragmatis? Quamdui homo respirat, venter alterna vicissitudine introrsum ac extrorsum agitur. Certe ventriculus sic comprimitur. Diaphragma cum agit premit, urget contenta abdominis, igitur ventriculum quoque. Quo vero ventriculus plenior, eo major erit pressio. Caveamus vero, ne contractioni ventris nimium adscribamus. Sunt mulieres, quae saepe pepererunt, flaccidum habentes ventrem & pendulum. In his a contractione ventris certe ventriculo admodum debilis pressio, & tamen bene digerunt. Pressio ergo ventriculi a contractione ven-tris non ita magnificienda respectu concoctionis.

20 SPECIMEN PHYSIOLOGICUM

§. X I V.

Afferunt quoque prioris concoctionis reliquias accedere. Ventriculus sani hominis ac bene digerentis nullas retinet reliquias sed totum se evacuat. In debilibus adsunt, sed in his concoctio languens ac appetitus prostratus. Nullum ergo locum obtinent. Rechte inde Ill. HALLERUS eas non admisit inter auxilia concoctionis (e).

§. X V.

Videamus an aër quoque aliquid tribuat? Non fieri aliter potuit, quin in deglutitione per os & per alimenta simul ingrediatur in ventriculum. Aër enim in cibo & potu continetur majori, minori copia, qui vero, dum in iis continetur, elasticitate orbatus est & fixus, iners ergo. In ventriculo autem elasticitatem recuperat. Experimentis ROBERTI BOYLII & HALLESHII demonstratum est, putrefactione ac fermentatione aërem secedere, elasticum iterum fieri. Videbimus postea fermentationis ac putrefactionis initium in ventriculo obtainere. Secedet ergo aër de ingestis,,

(e) Lib. citat. pag. 336.

gestis, qui, elatere recuperato, vi sua elastica ventriculum expandet, ac contenta quodammodo dissolvet. Secessus vero aër a natura superandus est. Ni si hoc fieret, expandendo ventriculum molestiam crearet ac nocivus foret. Quibus enim ventriculus ita debilis ac languens, ut natura eum superare nequeat, inde summa incommoda.

§. X V I.

Saliva inter manductionem cum cibis subacta pervenit in ventriculum. Dixi, cum de ejus proprietatis egi (§. IV.), aliam quoque habere, qua principium inducit fermentationis. Experimenta, ab ingenioso DAVIDE MACBRIDE instituta, affirmant, hanc vim salivae inesse (*f*). Inde vero non iusta sequela, concoctionem fieri fermentatione, uti Clar. Vir opinatus est. Quae enim cum saliva alimentis admixta instituit experimenta, monstrant mutationem quam alimenta subeunt extra corpus nostrum. Quis vero non videt, hanc in nobis vivis aliam esse? Summe alimenta, misce cum iis salivam, fac fermentare: an inde unquam chylum obtinebis? Saliva principium.

(*f*) Experimental Essays, London 1764.

22 SPECIMEN PHYSIOLOGICUM

pium inducit fermentationis, i. e. spumum ac bullas concipit, elevatur. Inde vero saliva non est fermentum vocanda; nec dicendum, concoctionem fermentatione fieri. Nunquam enim fit plenaria in ventriculo.

§. XVII.

Hactenus de causis ingesta alimenta mutantibus, ac illis, quae concoctionem adjuvare videntur. Quae-nam inde contentis ventriculi mutatio? Haec nunc consideranda venit. Sequela est necessaria, ut ingesta in ventriculo, loco calido ac clauso, haeren-tia, ex natura sua corrumpantur. Carnes incipiunt putrescere, vegetabilia acescere, fermentare, oleosa rancescere. Incipiunt, dico, quodcumque pro na-tura sua, nequaquam autem vera fermentatio aut pu-tredo nascitur. Concoctione enim ventriculi peracta, quae in duodenum transeunt, neque eminenti acre-dinis gradu gaudent. Qui dixerunt, putrefactione concoctionem fieri, quam maxime errarunt. Ostendit chylus, quod non sit naturae institutum, corrup-tione ac putredine perficere concoctionem. Purus chylus blandus est, acredinis expers. Non invenies in illo illud putridum, acidum. Contenta ventriculi quon-

quoniam in plenariam putredinem ac fermentationem abirent, si sibi ipsis relinquerentur, necesse est, ventriculum hanc corruptionem superare. Et certe superat, contentaque sic mutat ac disponit ut ex iis chylus in intestinis separari possit. In ventriculo nullus adhuc chylus separatur. Nemo praeter Verheyenum in ventriculo album vidi chylum. Si omnia consideres quae contentis in ventriculo eveniunt, videbis omnia ad solutionem ex mixtionem reduci. Solutionem inducunt saliva, succus gastricus, calor, aér, incipiens contentorum fermentatio ac putredo. Mixtionem praecipue efficit ventriculi contractio, motus peristalticus dicta, adjuvant actio diaphragmatis ventriculique contractio, si non nimis cito ab assumto cibo, sed concoctione peracta, vivum incidat animal, tale vero, quod ratione concoctionis cum homine quodammodo comparare potes, vides tunc massam uniformem, pultaceam, fere cineritiam, mixtionem aequabilem, figuram assumtorum deletam. Intercurrent tamen frustra, quae distinguere potes, quae non plenarie soluta ac mixta sunt. Id vero pendet a natura ingestorum (g). Vides ergo generaliter ingesta

(g) Vid. III. ALBINI Ann. Acad. Lib. II. Cap. VIII. Miles ille vulneratus, cui vulnere sanato anus in latere remanebat, homo postea-

24 SPECIMEN PHYSIOLOGICUM

gesta solvi ac misceri. An vero crederes, in mixtione tantum ac solutione concoctionem alimentorum confistere? Certe aliud quid adhuc est. Negare non potes concoctionem opus esse naturae. Si omnes causas mutantes simul, non singulas, consideres, tamen exinde non poteris intelligere, quomodo contenta alimenta in ventriculo, & intestinis mutantur, ut exinde chylus fiat.

Agnoscamus vim naturae actuosaam, quae uti omnibus reliquis partibus corporis insidet, sic quoque ventriculo. Est vis eadem, quae per totum corpus diffuse, qua partes vivunt, se sustineat, suaque perficiunt, qua ablata mortuae jacent. Quamvis autem quid vix illa sit, neque modum, quo agat, explicare non possumus, ideo tamen non neganda. Multa in rerum natura fiunt, quorum rationem reddere non possumus. Et quid juvat, multa excogitare, quae ingenium ostendunt, rem vero non explicant. Praestat, credo, pauca scire, quae veritate, quam multa hypothesibus suffulta. Haec de mutatione alimentorum in ventriculo.

§. XVIII.

valens ac robustus, ajebat, assumtos fructus, horaeos dictos, uti legumina, olera, nisi molliora sint, ut fructuum pulpa, fere integra excerni, plerumque ac colore quidem perdit, carnem vero ac panem non nisi mutata.

§. X V I I I.

Ventriculus concocta intestina tradit duodeno. Transfunt per pylorum. Pylorus retinet simul & emittit. Retinet, ne contenta ventriculi sponte effluant, emitit, ut duodeno tradantur. Alia ergo hic ratio obtinet ac in cardia, quae tantum claudenda erat, ne ingesta e ventriculo in oesophagum redirent (§. VI.). Quomodo vero pylorus retinet? Retardat certe exitum contentorum per angustiam: angustus enim est, ita tamen ut dilatabilis sit, & cedat. Praeterea accedit sic dictus annulus, membranis constans crassioribus (*b*), ejusdemque structurae ac ventriculus & intestina, qui quoque retardat & resistit. Ubi vero aliquid urget, annulus magis clauditur, arctatur ostium. Dum pylorus retinet, tamen simul emittit. Etenim ea, quae jam soluta satisque fluida, facile exeunt, crassiora vero retardantur. Impedit ergo, ne contenta ante tempus egrediantur, quocunque situ sis positus, si-
ve sis erectus, sive incumbens, sive totus inversus.

§. X I X.

(*b*) E fibris carneis & affnrgente in duplicaturam unum circumcirca tunica nervea constructus. Ill. MORGAGNI Adv. Anat. III. Anim. IV.

D

26 SPECIMEN PHYSIOLOGICUM

§. XIX.

Quae per pylorum exeunt, traduntur intestino duodenio, quae e duodeno, reliquis intestinis. Ulterius in illis mutantur. Praemittam pauca de intestinalium tenuium fabrica.

§. XX.

Ventriculus continuatur in intestina, quae efficiunt unum continuum longum canalem. Longus hic canalis commode ut poneretur, & sese simul contrahere posset natura fecit mesenterium, productum a peritoneo, quod illum continet, unde libere pendet in plicas rugasque continuatur. Inde intestina obsequuntur, ut necesse, restituunt se in situm, nec aliis partibus impedimento.

Canalis dividitur in tenuem intestinum ac crassum. Tenuem rursus in tria: duodenum, jejunum, ileum. Sic quoque crassum. A tenuibus crassa differunt. De his vero, ad rem meam non facientibus, nihil afferam. Tenuia maxima parte pendent a mesenterio, lumbis alligato. Constant tribus propriis membranis: musculosa, nervea, interna. Hisce additur quarta,
com-

communis vocata, quae est accessoria. De hac pri-
mum.

Mesenterium duas habet membranas, laminas voca-
tas, quibus, duodeno excepto, intestinā involvit &
quasi in vagina continet. Ubi mesenterium ad intesti-
num procedit, diducit duas suas membranas, circumam-
bit intestinum, fit membrana intestini externa. Sub tu-
nica communi cellulosa est. Duabus enim mesenterii
laminis interjecta est cellulosa, pingue continens. In-
de ab utraque parte, cum mesenterium intestino com-
munem porrigit, secedit cellulosa pingue continens,
& inter communem & musculosam ex utraque parte
aliquantum excurrit (*i*).

Altera est musculosa. Tenuis est, colore rubello
se distingueens. Duplicis generis fibras habet, or-
biculares & longitudinales. Differt ergo a ventriculi
musculosa, cui tria sunt fibrarum strata. Orbicula-
res internam ambiunt superficiem? non veros effi-
ciunt orbiculos, sed species modo. Longitudinales
maxime in latere inveniuntur, mesenterio opposito.

Sequitur post musculosam tertia membrana, nervea
dicta, quae crassissima est, corpus intestini constituens.

Su-

(i) Annot. Acad. Lib. II. Cap. VII. & Tab. IV. fig. 2.

21 SPECIMEN PHYSIOLOGICUM

Superficies ejus externa cum musculosa conjungitur; interna cum villosa. Ubi inversum intestinum inflatur, nervea quoque distendi potest, flatuque distenta exsiccando verti in rarum quoddam & spongiosum, simile ei, quam cellulosam vocant (*k*). Inde factum, ut duae membranae cellulofae a nonnullis fuerint descriptae, altera musculari inter & nerveam, altera inter nerveam & internam. Verum ab Ill. B. S. ALBINO demonstratum est, ambas ad nerveam pertinere, quae tota naturae illius est cellulofae (*l*). Dat nervea productiones, quae a tunica interna vestitae efficiunt valvulas, a KERCKRINGIO conniventes vocatae. Intestino inflato & siccato totae mutantur; debent igitur in cadavere videri.

Tunica interna quarta ac ultima est membrana, quae cavitatem terminat, intestinum perficit. Valde tenuis est, tamen densa & firma. Stricte adhaeret nerveae. Membrana haec ex interiore parte in innumeras protrahitur vaginulas, quae villi vocantur, unde quoque villosa vocatur. Hanc tunicam Clar. Alex. MONRO cum epidermide comparat ex analogia

(*k*) Loc. cit. Tab. IV. fig. 1.

(*l*) Ibid.

gia judicans, ejusdem esse naturae vel forte ipsam continuatam epidermidem.

Accedunt arteriae, venae, nervi, glandulae. Per totam longitudinem ad intestina accedunt arteriae & venae, quae sensim ramosiores simul & subtiliores factae, vario modo se per ea distribuunt. A mesenterica superiore oriuntur, praeter duodenalem, quae a coeliaca. Vene, arteriis comites, variis sub non minibus sanguinem ad venam reducunt portarum. Longum foret, describere, qua ratione arteriae & venae se per intestinorum membranas distribuant (*m*). In genere per muscularem vasa penetrant in nerveam, per hanc distribuuntur, ex qua subtiles rami iterum ad muscularem & communem tendunt, subtilissimi ad internam.

Nervi copiosi quoque accedunt. Accipit duodecum nenuos ab hepaticis ventriculique nervis. Reliqua intestina tenuia a plexu mesenterico. Comitantur vasa ad intestina tendentia, fiunt subtiliores, denique subtilissimi, ut evanescant aciemque oculorum fugiant. Videamus denique de glandulis. In tuni-

cae

(*m*) Veram ac secundum naturam exhibitam, decursus vasorum delineationem invenies in summi ALBINI Dissert. de arter. & ven. intest. hom. & in Aunot. Acad. Lib. III. Cap. XI. Tab. I. II.

D 3

30 SPECIMEN PHYSIOLOGICUM

cae nerveae ea parte, quae spectat internam, haerent corpuscula rotunda, ovata, similia illis, quae glandulae vocantur. Vasorum plena sunt ac mollia. Proxime adhaerent internae, sic, ut injecta materie tumentia internam quasi protrudant & sub ea promineant. Inveniuntur in toto tractu intestinorum tenuium, in ileo autem parva sunt. Quo homines juniores, eo apparent majores; quo adultiores, eo minores, pauciores.

§. X X I.

Addam pauca de villi structura. Villus patulo gaudet ostio & constat ex tunica interna, in vaginulam protracta. Accedunt ad unumquemque villum arteriae, unica venula, nervi ac unum vas lacteum. Injectione dexterime instituta, arteriae & venae in villo apparent materie ceracea repleteae. Arteriae in nervea distributae subtilissimos mittunt ramos ad villum. Venulae se conjungunt ac constituunt unum ramum exeuntem (*n*), interdum plures. Nervulos sub-

(*n*) Vid. Medical Essays of Edinb. Vol. IV. p. 61.

(*n*) Vid. Clar. LIEBERKÜHNII egregiam dissertationem de fabr. & actione villor. intestin. ren. Amstelaed. MDCCCLX.

subtilissimos ad villum accedere, est verosimile, quamquam nimiam ob subtilitatem nec demonstrari possint, nec microscopiis cerni. Ad quemvis villum accedit quoque unum vas lacteum, ab ipso villi ostio initium suum ac originem ducens.

§. X X I I.

Consideremus nunc, quid porro massae alimentariae in intestinis eveniat. Quae in intestina perverterunt, nullum adhuc continent chylum, sed referrunt materiem pultaceam, quae chymus vocatur. In intestinis tenuibus ulterius mutanda est haec massa, quae perficiunt id, quod ventriculus inchoavit. Videamus rursus & h̄ic causas, quae hoc efficiunt.

§. X X I I I.

Intestinorum contentis variè admiscentur humores: succus intestinalis; pancreaticus; latex hepaticus, vulgo bilis hepatica dictus: & bilis cystica. De singulis videamus.

§. X X I V.

De succo intestinali vel enterico primum. Oscula mi-

32 SPECIMEN PHYSIOLOGICUM

minimarum arteriarum in cavum intestini patentia hunc stillant succum. Eamdam naturam habere videtur ac ros exhalans, in reliquis corporis cavitatis obvius. Diluit ergo, acrimoniam temperat & mitigat.

§. XXV.

Esurgit e pancreate longus ductus, succum secretum tradens intestino duodeno. Huic succo pancreatico multas olim excogitatas adscripserunt virtutes, quarum patronus Franciscus Sylvius. Ejus discipulus, GRAAFIUS, multa in eo instituit experimenta, e quibus apparet, magnam ejus adfluere copiam. Manifesto nunc constat, esse salivae simillimum, colore, sapore, ceterisque dotibus. Si fabricam comparas pancreatis cum illa salivalium glandularum, invenies utrobique eandem esse. Eosdem ergo quoque praestat usus, ac saliva, diluit, macerat, solvit, varia inter se miscet.

§. XXVI.

Latex hepaticus fecernitur in hepati, qui per ductum hepaticum ad cholidochum, per hunc ad duo-
de-

denum vehitur. Bilis amarorem non habet, quod gustando deprehendere potes, unde multum differt a bile; hinc rectius latex vocatur, quam bilis. Quid vero facit? Massam reddit dilutiorem, uti succus pancreaticus. Praeterea gaudet majori vi saponacea, qua varia solvit atque inter se jungit, macerat, penetrat: unde id, quod solubile, solvitur ac homogeneum redditur; quae firma, molliora fiunt; unde mixta magis homogenea in duodeno apparent, ac in ventriculo.

§. X X V I I.

Bilis cystica proprium sibi habet receptaculum, quod in fine angustatur ac continuatur in ductum, qui cum hepatico confluens efficit communem ductum, cholidochum vocatum, per quem & latex hepaticus & bilis cystica ad duodenum venit. Est humor spissus, flavus, valde amarus, ut illius unica guttula sat magnam humoris blandi quantitatem amare inficiat. Ad viscidissimos numerari potest humores, ad majorem spissescientiam cum sit tam valde prona. Calculi enim biliarii sunt inspissata bilis, in calculum degenerata. Natura ejus, quantum ex effectibus cognoscere possumus, saponacea est, & re-

342 SPECIMEN PHYSIOLÓGICUM

Cte inter acérrios numeratur sapones. Detergit enim & dissolvit quam maxime. Resinæ, difficile solubiles, bile solvuntur. Si in oculo obfuscans adest macula detergenda, bile potest detergi. Ergo contentis intestinorum affusa maxime ea miscet, solvet quæ adhuc solvenda, maxime pinguia, reliqua reddet homogenea: ut mixtum, & solutum, & homogeneum quid inde oriatur.

§. XXVII.

Omnes recensiti adfluentes humores cum massa alimentaria miscentur. Miscela quam maxime pendet a motu intestinorum peristaltico. Gaudent enim fibris muscularibus, contractilibus. Vivum si incidat animal, vides intestina reptare, secundum varios ductus attrahiri, constringi & laxari. Plenius haec apparent, dum massa in iis continetur cibaria. Effectus hujus motus est certissimus, contenta cum humoribus affluentibus commiscere. Inde crassior massa dilutior redditur, agitatur, bilis cum aquosis & oleosis se jungit, quod absque motu non facile fit, majorisque igitur exserit vim solventem. Praeterea ab hoc motu cibi deorsum promoventur.

§. XXIX.

§. X X I X.

Retardantur contenta in intestinis, ut digestio perfici possit, propelluntur, ut reliquis tradantur intestinis. Quid vero est, quod retardare facit? Intestina in volumina inflexa sunt; vocantur volvuli, gyri. Dicunt, hos gyros retinere ingesta, ne nimis cito transeant. Infunderunt aquam in intestina cadaveris, viderunt non cito transire: inde existimarunt, volvulos remorari contenta intestinalium, factos esse ad remoram. Speciem habet veri haec opinio, sed videamus, an res sic se habeat. Fecerunt haec experimenta in cadavere, quod instrumenta habet omnia, ut vivens, sed inertia. Aqua in cadavere non tam efficax est actor, quam natura nostra, dum vivimus. Secundum naturam hi flexus non remorantur. Matrices alimentaris, quae e ventriculo in intestina pervenit, non sic infunditur, ut pondere suo penetret. Non ruit haec massa, quae non apta ruendum, non adeo fluida, sed intestinum contrahit se omni sua parte, sive propellit ingesta ac simul retinet. Si recte consideres, videbis naturam alium sibi finem proposuisse in faciendis his volvulis. Non potuit tale longum intestinum melius reponi in illud spatium

36 SPECIMEN PHYSIOLOGICUM

angustum, ut spatum impleret, cedere posset & restituere se, ne sibi & aliis partibus esset impedimento. Mesenterium continet intestinum, excepto ejus principio, quod duodenum vocatur. Intestini ergo longitudo illi mesenterii debebat respondere, ut responderet, convolvitur in volumina; sic parvo spatio multum continetur. Neque Natura h̄ic constantiam observavit, sed variat saepius. Credo, hanc causam, cur gyri facti, instituto naturae melius respondere.

Valvulae sic dictae conniventes ad moderatam faciunt retardationem, non tantum, ut quidam opinati sunt. Mala praeparatio, siccatio nempe intestini una cum valvulis, totam earum mutat natum. Praeterea aliam adhuc praebent utilitatem non contemnendam. Efficiunt scilicet, ut major sit nervae ac internae amplitudo, eoque major numerus vasorum, villorum, glandularum (o).

§. XXX.

Hæc sunt, quae ad ulteriorem digestionem massæ alimentariae faciunt. Paratur exinde tremor, magis purus in jejuno ac in duodeno, cuius pars subtilli-

lissi-

(o) Annot. Acad. Lib. III. Cap. IV.

lissima, fluidissima, optimaque a reliqua parte, inutili, excernenda, separatur, & ab innumeris resorbetur vasis lacteis. Resorbent quoque venae mesentericae partem laudabilem tremoris, in ventriculo studiorem, in tenuibus perfectiorem.

§. XXXI.

Cognoscendum est, quid chylum separet a reliqua parte. Capacitas primo ostiolorum certe determinante partes crassiores ingrediantur. Consentaneum dein est credere haec ostiola, quamvis fibris non constent muscularibus, tamen se contrahere ac relaxare posse, ut stimulus accedit, contrahere se fortius, introitum denegare. Acria ergo excludunt, blanda admittunt. Pendet hoc certe a vi vitali, actuosa, quae villis inest. Attamen acre involutum transire potest. Docet stranguria ab assumptis cantharidibus exorta, transiisse acrimoniam per villos in vasa lactea. Docent hoc innumera exempla. Non est dubium, quin acrimonia transeat, sed ab aliis humoribus, quorum multi adsunt, involuta, tamen vim suam retinens, quae post evolvitur.

38 SPECIMEN PHYSIOLOGICUM

§. XXXII.

Vasa lactea chylum resorbere, non amplius in du-
biūm vocatur. Etenim animal bene pastum si vivum
incidas, vel cadaver humanum adhuc calens, appa-
rent vasa lactea, albo humore turgentia. Pressione
chylum e villis in vasa lactea impellere potes, vel ex
his per villos in cavum intestini exprimere. Optime
quoque apparent, si ligatura ulteriore chyli pro-
gressum coērceas, ut vasa inde distendantur. Prin-
cipium horum vasorum est in ipsis villis. Ad quem-
vis villum accedit vas lacteum, valvulis munitum.
Ostium villi patulum est ipsum vasis lactei principium,
quod in villo latecens efficit ampullulam ovalem,
a Celeberrimo LIEBERKÜHNIO descriptam (*p*), quae
in unum continuatur vas lacteum.

§. XXXIII.

Qua vera ratione absorbetur chylus? Ratio & ana-
logia dicitant, fieri specie suctionis vel attractionis.
Neque pressio, neque illa alia mechanica causa, lo-
cum

(*p*) Vid. Dissertat. citat. §. 3.

cum invenire potest, quoniam vasa sunt angustissima & simul fluctuantia. Sepia Zoophyton, ad vermium classem pertinens, gaudet canali longo, cui adhaerent ova inter se connexa, qui primum angustus, sensim ampliatur, patet in extrema. In hoc canali nullae fibrae musculares, tamen visa est contractio & relaxatio alterna: inde fit, ut alia expellantur, alia ingrediantur. In puncto lacrimali idem fere observatus est motus. Nihil obstat, quin similis attractio quoque in vasibus obtineat lacteis. Contrahere se & relaxare, non est, quod dubitemus.

§. XXXIV.

Chylus resorbtus lymphae admixtione ulterius adhuc in vasibus lacteis perficitur. Digestione ciborum peracta vasa lactea lympham tantummodo vehunt, quae est humor pellucidus; quam ob causam difficulter cernuntur. Hujus vero admixtione diluitur chylus, acria, si forte una cum chylo transierint, temperantur & mitigantur, & vis, qua pollut, infringitur.

§. XXXV.

Plurima vasa lactea oriuntur ab intestino jejunio,
pau-

40 SPEC. PHYSIOLOGICUM INAUGURALE.

pauciores a duodeno, paucissimi ab ileo. Confluunt sensim in truncos, faciunt anastomoses, rursus dividuntur, sicque pergunt donec ad glandulas pervenerint mesenterii. Quae glandulas intrant, vocantur vasa lactea primi ordinis; quae exēunt, secundi. Vas lacteum ad glandulam accedens, dividit se in ramos, rami rursus colliguntur in truncum, qui exit. Progrediuntur una cum vasis lymphaticis ad lumbos, confluunt in truncos, latescunt, ac radices constituunt vasis chyliferi. Radices vero vasis chyliferi una cum accendentibus lymphaticis efficiunt cisternam lumbarem. E radicibus esurgit ductus chylifer, qui aortam inter & venam azygam adscendit, ac diaphragma transit. Ubi ad angulum azygae pervenit, declinat magis sinistrorum, adscendit ad jugulum, emergit e pectore, incurvat se tunc retrorsum, descendit rursus, donec venae subclaviae inseratur sinistrale, vel jugulari. Totus canalis valvulas habet, regressum chyli impedientes. Toto itinere accedunt vasa lymphatica copiosa. Multa igitur lympha chylo admiscetur. Inde perficitur, humorque evadit magis animalis, fluido corporis humani quodammodo jam assimulatus.

F I N I S.